

scandalum nascatur etc. ut apud Abbatem citatum bene observat Innocentius, loc. cit. Ratio est; quia bonum publicum debet præferri privato, can. *Scias.* 39. caus. 7. q. 4. ibi: « Nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est; » et ad extingendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt juris præcepta, can. *Si forte.* 36. dist. 63. et ibi *Glossa*, ¶. *Ita tamen*, item can. *Ut constitueretur.* 23. ad finem. dist. 50. etc. *Nihil prodest.* 2. de *Præscription.* ubi *Glossa*, ¶. *Nihil cum scandolo*, ait: « Propter scandalum desistendum est a jure suo. » Ac docet cum S. Joanne a Capistrano, in c. *Manifesta. de Pœnitent. et Remission.* n. 43. Flaminus Parisius loc. cit. n. 165.

40. *Si alia via juvari potest, nullus cogendus est ad permutandum.* — Intellige, si alia via succurri non possit; enim vero quandiu alia via juvandi restat, v. g. posset succurri malo per assignationem coadjutoris, non posset beneficiatus invititus cogi ad permutandum. Abbas, loc. cit. Porro si alia ratione malum tolli nequit, æquum est, ut illi, qui absque culpa sua beneficium pinguis dimitit, assignetur pensio, vel alia compensatio, uti notat Abbas, loc. cit. Flaminus Parisius, loc. cit. n. 176. ac concordant dicta n. 33. (ADNOTATIO XXV.)

## TITULUS XX.

### De Feudis.

1. *Ratio continuationis rubricæ.* — Præcedentem titulum præsens sequitur: tum quia feudum in multis assimilatur emphyteusi, de qua in præcedenti titulo actum est: tum quia etiam per feudum transfertur dominium saltem utile rerum, indeque alienationis speciebus, de quibus hactenus copiosa erat quæstio, annumeratur, materiam de feudis sacri canones brevissime, duobus nempe, iisque brevibus capitalis absolvunt: jus civile vero eam duobus integris libris, et plurimis titulis pertractat. Quapropter legistæ magna commentariorum volumina de eadem scrispere. Nos ea, quæ scitu utilia magis vel necessaria videbuntur, seligemus. Ponitur itaque.

5. *Feudi varia acceptio. Feudatarius, et dominus directus quinam.* — Quæritur II. Quid

### DE ORIGINE, NATURA, ET DIVISIONE FEUDI.

2. *Controversia doctorum de origine feudi.* — Quæritur I. Unde originem trahat, et deriveatur feudum? Resp. I. Quamvis gravissima inter doctores sit controversia de origine feudi; cum aliqui cum Xasio, in l. II. ¶. *Currias. ff. de Orig. juris. et Caciæ.*, in *Commentarij. ad lib. Feud.* in pñc. velint, feuda ex antiquo Romanorum jure originem habere. Alii cum Luca de Penna, in l. *Quicunque. c. de Omni agro desert.* lib. XI. doceant, feuda tempore Justiniani cœpisse. Alii dicant feuda a Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, et alias Europæ provincias venisse, ut videre est apud Fachin. lib. VII. cap. 1. ubi singulas opiniones examinat.

3. *Probabilis a Longobardis originem trahit.* — Nihilominus communior ac probabilius tenet, feuda originem habere, ac primus concessa fuisse a Longobardis, qui Italianum occuparunt, diuque possederunt, natione caeteroquin Germani, vel Germanis vicini. Fachin., lib. VII. cap. 1; Harprecht, in *Annotat. ad Jul. Clar.* in § *Feudum.* q. 4. n. 11; Heig., part. I. Engel, h. t. n. 4. et complures alii. Ratio est; tum quia in libris feudorum passim fit mentio Longobardorum, et legum Longobardicarum, veluti lib. I. tit. I. *Feudi cognitione*, item lib. II. tit. VIII. *de Investitura*, rursus lib. II. tit. LVIII. *de Notis feudi*, et alibi; tum quia in iisdem libris plura reperiuntur vocabula Germanica, ut morganatica, marchia, marchio, prout bene observat Fachin, loc. cit.

4. *Ly feudum derivatur a fide seu fidelitate.* — Resp. II. Ipsum nomen feudum derivatur a fide, seu fidelitate. Rosenthal, cap. 1. de *Feud.* concl. 7, lib. I. Engel, h. t. n. 2. et communis aliorum. lib. II. *Feud.* tit. III. *Per quos fiat investitura*, ibi: « Cum a fidelitate feodium dicatur, vel a fide, » quæ verba, cum sint clara, audiendus non est Fachin., loc. cit. dicens, errare eos, qui putant ly *Feudum*, a fide, seu fidelitate derivari. Ratio autem est, quia natura feudi propriæ est, obligare feudarium, ut speciale exhibeat fidelitatem erga dominum suum directum, cuius est vasallus; cit. lib. II. tit. III. *Per quos fiat investitura*, ut dicitur. « Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat. »

### § I. DE ORIGINE, NATURA ET DIVISIONE FEUDI.

sit feudum? Ante responsonem notandum feudum subinde sumi pro ipso contractu feudali, quo res in feudum datur: subinde pro jure, quo ex contractu feudali, feudario, seu vasallo nascitur: subinde vero ipsa res, quæ in feudum conceditur. Ille, qui rem in feudum concedit, dicitur dominus directus, item dominus Feudi, Germanis Lehen-herr: qui accipit, vocatur vasallus, item feudarius Lehen-Mann, oder Lehentrager: res autem, quæ in Feudum conceditur, res feudalis, item simpliciter etiam feudum, Germanis *Lehen-Gut*, vel simpliciter *Lehen* appellatur. In præsenti agemus quidem de feudo in quamvis acceptatione considerato, principaliter tamen de feudo, prout sumitur pro ipsa re in feudum concessa, in quo sensu nunc feudum definiendo.

6. *Feudum definitur.* — Resp. I. Feudum proprie dictum est res immobilis, vel æquivalens, alicui quoad dominium utile liberaliter, et perpetuo concessa sub onere fidelitatis et obsequii personalis præstandi. Ita in re communis ac certa: atque desumitur ex § fin. lib. II. *Feud.* tit. XXIII. ubi ita describitur: « Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alieni, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiariæ penes dantem remaneat: ususfructus vero illius rei, ita ad accipientem transeat, ut ad eum, hæredesque suos masculos, sive foeminas ( si de his nominatim dictum sit ) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, et sui hæredes fideliter domino serviant. » Ex quo textu, quamvisclare pateat bonitas definitionis nostræ, nihilominus pro majori ejusdem claritate explicantur singulæ particulæ:

7. *Debet esse res immobilis. Jura incorporalia immobiliis comparantur.* — Dicitur ergo primo, « Res immobilis, » v. g. Castrum, predium, ager, vinea, etc. res enim mobilis feodium esse nequit, arg. cit. lib. II. tit. XXIII. ibid: « Rei immobilis. » Additur autem « vel æquivalens: » eujusmodi sunt jura incorporalia, que immobiliis accensentur, qualia jura sunt piscandi, venandi, lignandi, decimandi etc. arg. I. et § fin. c. de *Præscript. longi temp. juncta Clem. 1. de Rebus eccles. non alien.* item census, et redditus annui, Clem. *Exivi. § Cumque annui. de V. S.* ibi: « Cumque redditus annui inter immobilia censeantur a jure: » hæc enim æque ac immobilia proprie talia, utpote quibus æquivalent, in Feudum dari possunt, ut habet communis doctorum.

8. *Per feudum transfertur solummodo dominium utile, liberaliter tamen et perpetuo: in quo differt ab emphyteusi.* — Dicitur « quoad dominium utile; » quia sicut emphyteuta, ita et feudatarius solum dominium utile, nullatenus autem proprietatem rei feudalis habet claris verbis textus citati, « ut proprietas rei immobilis penes dantem remaneat: ususfructus vero ad accipientem transferatur. » Dicitur « liberaliter; » quia feudum est beneficium ex benevolentia » datum; per quod differt ab emphyteusi, in qua domino directo ab emphyteuta præstari debet canon annuus; unde si etiam in feudo annua pensio constituatur, prout nonnunquam fieri solet, jam feudum proprium non est, sed improprium. Dicitur « perpetuo, » quia tenda proprie dicta non præcise ad certum tempus vel generationem, ut aliquæ saltem emphyteuses, sed perpetuo conceduntur, ita ut etiam ad feudatarii « hæredes in perpetuum pertineant, » prout loquitur textus. Quapropter si quod feudum ad certum duntaxat tempus reperitur concessum, feudum improprie censeri debet.

9. *Feudatarius obligatur ad fidelitatem et obsequium personale.* — Dicitur tandem « sub onere fidelitatis, et obsequii præstandi; » quia principale onus et obligatio feudatarii est, ut domino directo, a quo tantum beneficium accepit, sit fidelis, et nunquam aliquid contra eum machinetur, sed potius consilio, et auxilio adjuvet præserit eum ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco, « domino acceptabilem mittat, vel dimidium redditus feudi unius anni domino subministret pro belli expensis» lib. II. *Feud.* tit. LV. § 1, de *Prohibita feudi alienatione.* Unde si feudatarius ab his oneribus liber, aliis gravatur oneribus, vel obligationibus, feudum improprium est.

10. *Si habet feudum proprium.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Feudum proprie dictum, quia dantur hodie plurima feuda, » quibus definitio data quoad omnes particulas non convenit, quæ proin feuda improprie vocantur. De quibus statim infra.

11. *Feudum dividitur varie, primo in proprium ac improprium. Utriusque descriptio.* — Quæritur III. Quotuplex sit feudum, et quomodo dividatur? Resp. I. Feudum multiplex est varie dividitur. Et quidem primo in feudum proprium et improprium. Proprium est, quod supra descriptimus. Improprium

est, cui aliqua ex requisitis conditionibus seu particulis definitionis deest; cuiusmodi plura afferemus infra; quae omnia generice convenient in descriptione sequenti. Feudum large sumptum est res immobilis alicui ad hoc concessa, ut domino sit fidelis eique præstet id, ad quod per investitaram specialiter obligatur. Est clara ex terminis, ac patebit ex specificis Feudis impropriis infra allegandis.

**12. Feudum antiquum et novum, paternum et avitum quid?** — Secundo dividitur in feudum novum et antiquum. Novum est, quod vasallus possessor non a aliquo antecedente, vi successionis, sed ab ipso domino, vel præscriptione primum accepit. Antiquum est, quod prius jam ab alio ascendentium acquisitum, per successionem ad alios devolvitur. Julius Clarus, § *Feudum*, q. 8. n. 1; Zasius, in *Epitome*, p. 2. n. 6; Engel, h. t. n. 7; Pirhing, eod. n. 3. et communis aliorum. arg. lib. II. *Feud.* tit. III. prin. Et si quidem feudum antiquum ab aliquo ascendentium intra quartum gradum, v. g. a patre, avo, proavo, vel abavo primitus obtentum est, vocari solet feudum paternum « ein Vatterliches Lehen, » arg. lib. I. *Feud.* tit. VIII. Si vero ab aliquo ascendentium ultra quartum gradum, v. g. a tritavo obtentum, dignoscitur feudum avitum, seu proprie antiquum dicitur, *ein Altvatterliches Lehen*. Verum quia in ipsis feudorum libris paternum et avitum promiscue, ac pro eodem sumuntur, ut videre est lib. II. *Feud.* tit. XI. § *His vero*, quoad effectum juris non differunt, ideo hodie non amplius attenditur divisio feudi antiqui in paternum et avitum, sed ad juris exemplum pro eodem utrumque sumitur; ut bene adverit Vult., *de Feud.* lib. I. cap. VIII. Engel, h. t. n. 7; Jul. Clarus, loc. cit. et alii.

**13. Differentiae inter feudum novum et antiquum.** — Cæterum multum refert, an feudum novum sit, vel antiquum: quia præter alias differentias, quas recenset Gail., lib. I. *Variar. observat.* 50. n. 2, principaliter etiam differt feudum novum ab antiquo, quod in novo soli descendentes, filii. nempe, nepotes ac pronepotes succedant, quibus deficienibus feudum ad dominum revertitur, Gailus, loc. arg. lib. I. *Feud.* tit. VIII. § *Filia*, in fine. In antiquo autem etiam fratres, et alii collaterales admittantur; dummodo a primo acquirente descendant; Gailus, loc. cit. Engel, h. t. n. 8; textus est in lib. II. *Feud.* tit. XI. et tit. L.

**14. Rursus differt, quod si pater, intra annum, quo feudi renovationem petere debisset, moriatur, filius in feudo novo succedens non habeat integrum annum, sed tantum illud anni tempus residuum, quod patri defuncto adhuc supererat; succedenti vero in feudo antiquo, si vasallus intra annum mortuus fuerit, concedatur novus integer annus. Gail., loc. cit. 8. et 9; Zas., et alii, arg. I. *Si Judez.* 32 ff. *de Judicis.* ac I. *Et ideo* 15. ff. *V. O.* Ratio est, quia in feudo novo filius heres refert, et representat patris personam, I. *Æmilius.* 38. ff. *de Min.* Secus in feudo antiquo, utpote in quo successor non ex persona defuncti, sed jure proprio per primum acquirentem sibi competente venit.**

**15. Feudum ecclesiasticum, et sacerdotiale, quid et unde cognoscatur?** — Tertio dividitur feudum in ecclesiasticum, et sacerdotiale, seu laicale. Ecclesiasticum est, quod ab Ecclesiasticis prælatis de bonis ad Ecclesiam spectantibus dantur alicui, sive clericis, sive laico. Bocer, *de Qualitat. et different. feud.* cap. II. Engel, h. t. n. 9. Vult., lib. I. cap. VIII. n. 19. Azorius, lib. X. cap. II. et communis aliorum. Sacerdotiale, seu laicale est, quod a principibus, vel aliis dominis sacerdotibus, aut etiam a clericis, de bonis tamen patrimonialibus et sacerdotibus datur. Nam in dignoscendo feudo, an ecclesiasticum sit, an sacerdotiale, non tam aspicitur persona feudum concedens, quam res ipsa in feendum concessa, ita, ut si res sit laicalis vel sacerdotialis, ipsum feudum quoque sacerdotiale sit, etiam si clericis, ecclesiasticis, vel monasterio concedatur, arg. c. *Ex transmissa.* 6. *de Foro competent.* E contra si res sit ecclesiastica seu proprie ad Ecclesiam pertinens. feudum quoque ecclesiasticum erit, etiam si laico sit concessa.

**16. Episcopi, et alii clericis habentes feudum sacerdotiale, a domino directo in causa feudali judicantur.** — Hinc bene observat Gailus, lib. observ. 30. n. 4. Territoria illa, quæ multi, præsertim Germaniæ episcopi, et prælati, in feendum acceperunt, feuda esse sacerdotiale, intuitu quorum, episcopi hujusmodi sunt vere vasalli sacerdotiales imperatorum, et coram eis in causa feudali comparere ac judicari debent; eo quod universaliter quæstiones feudales per dominum feudi terminentur, c. *Ex transmissa.* 6. et c. *Verum.* 7. *de Foro competent.*

**17. Feudum sacerdotiale quod ecclesia habet,**

*differat a feudo sacerdotiali, quod laicus habet; et quoniam ideo?* — Verum quamvis, ut dictum, res laicalis Ecclesie concessa, sit feendum sacerdotiale; nihilominus speciale privilegium habet, quo caret feendum sacerdotiale, a laico acceptum: videlicet, quod propter delictum, aut infidelitatem prælati amittatur quidem, et ad dominum redeat, quandiu vivit talis prælaus delinquens; verumtamen mortuo tali delinquente, feendum denuo redeat ad Ecclesiam, textu expresso lib. II. *Feud.* tit. XL. Ratio est, quia « delictum personæ prælati non debet in detrimentum Ecclesie redundantur, » reg. 76. *de Reg. jur.* in 6.

**18. Feudum nobile et ignobile, quid?** — Quarto dividitur feudum in nobile et ignobile, seu plebeium. Nobile est, quod ex conferentis potestate ac voluntate nobilitat. Ignobile est, quod ex defectu potestatis, vel voluntatis in concedente, nullam nobilitatem confert accipienti feudum. Vultejus, *de Feudis*, cap. VIII. n. 9. et seqq. arg. lib. II. *Feud.* tit. X. et LIII.

**19. Regale et non regale, quid?** — *Regalia quod importent?* — Nobile feudum subdividitur in regale, et non regale. Regale est (Germanis *ein Fanhen Lehen* dictum, eo quod investitura mediante vexillo tradatur) quod a supremo principe cum jure regalium conceditur. Hujusmodi feuda sunt regnum, electoratus, ducatus, marchionatus, principatus, comitatus. Non regale est, quod personam accipientis quidem nobilitat, absque tamen jure regalium. Vultejus, *de Feudis*, cap. VIII. n. 10; Engel, h. t. n. 10. arg. lib. I. tit. XIV. *Feud.*

**20. Feudum ligium et non ligium quid?** — Quinto dividitur feudum in ligium, et non ligium. Ligium (a *ligando* seu verbo *liga*, quod foedus et societatem arctissimam significat) est, vi cuius vasallus jurat fidelitatem contra quemcunque, I. II. tit. XCIX. *de Feudo ligio.* Excipe Romanum Pontificem, utpote qui in quovis feudo ligio intelligitur exceptus, eo quod contra ipsum, nullum fidelitatis juramentum fieri queat, arg. c. *Venientes.* 19. *de Jure jurando* ibi: « Cum predictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. » Ob quam etiam rationem feuda ligia non nisi a supremis principibus superiori non agnoscitibus dari possunt; quia a quovis feudo ligio superior dantis exceptus censemur, arg. cit. c. *Venientes.*

**21. Feuda ligia non potest quis a duobus do-**

*minis accipere.* — Porro non potest quis a duobus distinctis dominis feuda ligia accipere, arg. cit. lib. II. tit. XCIX. *Glossa in Clem. Pastoralis.* y. *Homo ligius, de Re judicata.* Ratio est, quia impossibile est duobus promittere fidelitatem contra quemcunque; cum hoc ipso, quod uni jam promiserit fidelitatem contra quemvis nullo excepto, etiam contra illum promiserit, a quo postea feendum ligium accipere vult. Clarus, *Feudum*, q. 11; Engel, h. t. n. 11.

**22. Bene tamen feuda non ligia.** — Feudum non ligium est, intuitu cuius, vasallus domino ita fidelitatem jurat, et debet, ut tamen alicui alteri ex eamdem vel simili causa fidelitatem debitam prestare valeat. Hinc bene quis potest duo, vel plura feuda non ligia a diversis dominis accipere; dummodo in nullo fidelitatem contra dominum aliquem feudi juret; uti habet communis, probatque praxis recepta.

**23. Feudum familiae, seu ex pacto, et providentia Stammenlehen, quid?** — Sexto dividitur feudum in hereditarium, et in feudum familiae, seu ex pacto et providentia. Feudum familiae, Stammen-Lehen est, in quo soli masculi a primo vasallo per legitimum matrimonium descendentes, jure agnationis et sanguinis succedunt; quia ordinarie in favorem et conservationem familiae conceditur. Et hoc propriissime feudum dicitur, esseque semper presumitur, quoties ex investitura pactis specialibus aliud non habetur, Bercer., *de qualitat. et different. feud.* cap. v. n. 36. Vultejus, *de Feudis*, cap. VIII. n. 32. arg. lib. II. *Feud.* tit. II. in fine.

**24. Feudum hereditarium, quid?** — *Clausula Concedo feudum pro te, et tuis heredibus qui- buscunque, indicat feendum hereditarium.* — Feudum hereditarium, *ein Erblehen*, item *ein eigenthümlich Lehen*, est, in quo per specialia pacta, et ex speciali providentia primi acquirentis, vel speciali beneficio concedentis receditur a jure communi, ita ut non soli agnati a primo acquirente succidentes, sed etiam omnes alii quicunque tandem heredes, sive masculi sive foeminæ, sive ex testamento, sive ab intestato venientes succedant. Tale feudum esse censetur, si in investitura hæc vel similis clausula habetur: « Concedo Feudum pro te et tuis heredibus quibuscunque. » Jul. Clarus, § *Feudum*, q. 9. n. 2; Pirhing, h. t. n. 3; Fachin. lib. VII. cap. VI. et communis aliorum. Ratio est, quia quamvis alias natura feudi sit, non nisi jure